

*f. 39. 9. Unde, ut pauca de pluribus exempli gratia *hic commemoranda notemus, Cartaginense concilium cap. XXX. et Africanum concilium cap. XV. et cap. XX. et cap. XXV. et cap. XXVI. et XXVII. et XXVIII. et XXVIII. et XXX. et XXXI. et XLIII.^a et L. et^b LII.^b et LIII. et LXI. et LXV. et LXVI. et LXVII. et LXVIII. et LXXII. et LXXXV. et LXXXVII. et XCVII. hoc evidenter ostendunt. Sed et inter ceteros sanctae et primae in toto orbe terrarum Romanae sedis pontifices, sicut in eorum decretis et epistolis repperitur, Damasus, Innocentius, Bonifacius, Leo, Gelasius et beatus Gregorius reverendarum legum, quibus una cum sacris canonibus sancta moderatur ecclesia, sententias ecclesiasticas et canonicas esse probarunt.¹ Unde inter caeteras atque inter cetera Leo et synodus Romana Sarmationi et ceteris episcopis intra provinciam tertiam constitutis dicit²: Singulos universosque volumus agnoscere, ut, quod pleno iustitiae et iuris ordine constitutum est, effectum totius firmitatis de omnibus clericorum negotiis sortiatur. Sane si clericus laicum pulset, prius se audiri ab *f. 39'. episcopis *poscat. Tunc, si petitioni suae laicum viderit obviare, ex permissio episcopi sui in saeculi moderatores disceptatione configat. Et Gelasius³: Facultates ecclesiae necnon et dioceses, a quibus possidentur episcopis, iure sibi vindicent, quod tricennalis lex conclusit; quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas, ut ultra triginta annos nulli liceat per id appellare, quod legum tempus exclusit. Et sanctus Gregorius commonitorium ad Iohannem defensorem euntem in Hispanias de causa episcoporum atque presbiterorum dirimenda ac iudicanda ex legibus Romanis sine memoria canonum ex integro contexuit⁴; et item Gelasius in epistola ad Anastasium imperatorem scribit⁵: Si, inquit, quantum ad^o ordinem^o publicae pertinet disciplinae, cognoscentes imperium tibi superna dispositione conlatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae, et reliqua. Et inter cetera Gallicana concilia Toletana synodus *f. 40. dicit⁶: Dignum *est, ut vita innocentis nulla maculetur pernicie

^a) Auf Ras.
auf Ras.

^b) Von gleicher Hand übergeschrieben.

^c) ad or-

¹) Vgl. die oben S. 63 N. 1 zitierte Stelle (MIGNE 125, 652). ²) MIGNE 130, 922. Nicht Brief Leos I., vgl. MAASSEN, *Geschichte der Quellen und der Literatur des canonischen Rechts* 1, 373 n. 446; SCHRÖRS S. 395 N. 32; oben S. 61 N. 3. ³) HINSCHIUS S. 654 c. 2 (J-K. 637). ⁴) MG. Epist. 2, 414 (J-E. 1912). ⁵) HINSCHIUS S. 639 (J-K. 632). ⁶) HINSCHIUS S. 378 c. 11.